Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 155

Quelle:
Copyright:

Synonymorum, ſive *Soliloquiorum*, quibus *Homo* et *Ratio* apud *Iſidorum* concertant, ſed *Iſidorum* edidiſſe inter alia *Alphabetum Verbalium*, autor eſt *Lucas Tudenſis* in ejus *Vita* c. V. T. I. *Actor. SS. April. p.* 340. Quid igitur, ſi *Alphabetum* iſtud hic teneremus? Praeloquium tale eſt: *Collegi ea que pluribus modis dicerentur. quo uberior promtiorque eſſet oratio. quorum plerumque multo maior pars trahi in has omnes formas poſſit. ceterumque ueniet minime. Ac mirum erit. ſi pluribus locis eadem uerba legerentur. an quod memoria fugerit. an quod pluribus ſignificacionibus conueniant. Igitur per alphabetum inicium capiamus.* Non abludunt haec ab *Iſidori* ſtilo. Initium porro Synonymorum ſic habet: *Abditum.* (idem ac) *opertum. Abſconditum. Obſcurum. Obumbratum. Obtuſum. Lucum* (quid iſtud?) *Inuolutum. Coopertum. Tectum. Occultum. Adipiſcitur.* (idem ac) *Conſequitur. Nanciſcitur. Poſſidet. Fruitur. Potitur. Ambicio* (idem ac) *gratia forenſis. Blandicie. Popularitas* &c. Atque in hunc modum *Verbis* admixta ſunt *Nomina* numero tamen minore, ita, ut denominatione a potiori ſumta Index hic ſemper *Alphabetum Verbalium* dici queat, quale ab *Iſidoro* relictum ſupra memoravimus. Quid, quod valde credibile ſit, eum, qui *Differentiis* Vocum latinarum indicandis operam locavit, etiam *Synonymiis* earum colligendis ſtuduiſſe. Atqui in praeſenti Codice *Synonymiae* preſſo pede *Differentias* ſequuntur. Mendis ceterum non caret Exemplar, ut vel ex fine obſerves: *Zelus. id eſt Amor. Zelus. Inuidia. Zelotipus. Zolotipie. Zelotipo.*

V. *fol.* 145. *Gregorius de prophetiis.* Eſt *Homilia* I. ſeu *Praefatio* hujus Doctoris in *Ezechielem* Prophetam, ut legitur Edit. *Maur. Pariſ.* T. I. 1705. p. 1173. f. demta ſolummodo prima periodo. Unde nobis ita incipit: *Prophetie tempora tria ſunt* &c. nec mendis caret.

VI. *fol.* 150. ſequuntur Συμμικτα ſacra et profana, quorum Rubricas indicabo: *De quatuor Differentiis Scripturae. De veſte Sacerdotis ſciſſa. Quare dominus ſtans et non ſedens in libro legerit. De Ancilla. De Vidua ſareptana. De Naaman. De Antichriſto*, qui Noſtro *Barrabas* eſt. *De Daemoniaco. De Paſſione Domini. Auguſtinus de ſecreto incarnacionis.* Locus, ut puto, ſpurius, qui incipit: *Inter cetera et ad* (hunc?) *locum lege cum timore caute et ſecrete. Veni ad me et dicam tibi quemadmodum uirgo concepit. et melius eſt ut in ſermone ſit uerecundia quam in fide pericula* &c. *De generatione Chriſti. De Nitro. Nomina trium magorum.* Sic: *Hec ſunt nomina trium magorum de terra euilath qui Chriſto munera obtulerunt. Melchius. Caſpar. Putizar. Melchius in capillis et barba canus erat. habens tunicam iacinctinam et pallio polimio indutus erat. ipſe aurum obtulit Chriſto. Caſpar iuuenis in barba rubicundus erat. ueſte byſſina indutus. ipſe thus obtulit*